

**Dissertatio medica de acidularum usu externo ... / praeside Elia Rudolpho  
Camerario ... respondente Jeremia Cunrado Cellario ... M. DC. LXXVII.**

**Contributors**

Camerarius, Elias Rudolph, 1641-1695.  
Cellarius, Jeremias Cunradus, active 1677-1679.

**Publication/Creation**

Tubingae : Literis Heinianis, [1677]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/udkaac47>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA

DE

ACIDULARUM  
USU EXTERNO,SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DOMINOLUDOVICO,  
DUCE WIRTEMBERGIÆ ET TEC-  
CIÆ, COMITE MOMPELGARDI, DYNA-  
STA IN HEIDENHEIM, &c.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

PRO LOCO

IN FACULTATE ILLUSTRIS ET PERANTIQUE ACADE-  
MIÆ TUBINGENSIS MEDICA MORE MAJORUM  
OBTINENDO*Solenni Eruditorum Examini exposita*

PRÆSIDE

ELIA RUDOLPHO CAMERARIO, Phil.  
& Med. Doct. ac Prof. Consiliar. & Archiatr. Wirtemb.


RESPONDENTE


M. JEREMIA CUNRADO CELLARIO, TUBINGENSI,  
IN AVLA NOVA,*Die 19. Maii.*

Hor. consuet.

ANNO, QUI  
UNIVERSITATI SECUNDUS EST  
JUBILÆUS,  
*M. DC. LXXVII.*

TUBINGÆ, LITERIS HEINIANIS.





Σ. Θ.

PROOEMIUM.



Cidulas variarum virium in Amphitheatrum sapientiæ divinæ, Omnipotentiaë infinitæ, & Bonitatis inexhaustæ Invisibilem DEUM quasi delineans inter alia etiam prudenter producit *Morhardus l. 1. cap. 12.*, ingens misericordiæ divinæ donum piè vocat *Cl. Gerhardus quondam noster p. m. quest. de metallis qu. 1.* & virtutes egregias morbos à Medicis derelictos emendandi possidere verè dicit *Wirdig. Medicin. Spirit. l. 2. c. 14. §. 2.*, nam medium Aquæ minerales sunt, quo Natura metallica cum animantium corpore conciliat, ut loquitur *Rochas de vera Anatomia Spagyrica Aquar. mineral*, innumeri autem in toto orbe reperiuntur fontes salutare falsi & sulphurei, *Gomesio teste, de Sale l. 2. c. 10.* totque ferè medicatarum aquarum scaturigines, quot morbos terra profert, *Renodæo asserente, Instit. Pharmaceut. l. 5. sect. 3.* & in Europæ variis locis liberaliter & profuse eas Natura elargitur, *Quercetano referente tetrad. graviss. cap. aff. c. 20.* Germania præsertim acidis fontibus luxuriat, ut eorum numerus in ea sola ad millenarium ferè accedat, *affirmante Bernh. Vareno Geograph. Gener. cap. 17. libr. 1.* Imprimis, quòd de iis gaudeat, DEO-que Summo illarum Fonti dignas cantet laudes, Inclytus noster habet Ducatus; cùm autem in usu tam acidularum quàm thermarum quemquam securum esse nolit *C. Hofmann. Paralipom. officin. c. ult.*, & quòd pauci

juventur, multi detrimentum persentiant, non aquis medicatis, sed earum absque ullo discrimine ordinationi adscribat *Gæbel d. thermis S. Iobi libr. 1.*, quare jam antehac binâ vice Acidularum Naturam primùm, pòst Usum internum universalem, tractavimus, & tertiâ nunc eas vice producimus, cùm, ex recepto Facultatis Medicæ in Illustri hac Academia more, Professores publicam in munere operam Disputatione auspiciari teneantur, exposituri Earum Usum Externum, cùm ad morbos tam præservandos quàm curandos varios vel Universaliter usurpantur balnei calidi materiam, (nam acidulas ἀποφύη λῆρα *Charleton de scorbut. cap. 14. artic. 10.* thermas potentiales vocat *Dietericus in dedic. Respons. Med. d. acid. Sivalbac.*) suppeditantes, in quo totum corpus maceratur, curâ, ut loqui amant, integrâ institutâ, sive therapiâ, non, quòd vires exhauriant, aut subito alterent, sed quòd magnos morbos paulatim tempore longiori sed tutò curent, magnâ, ut *Mermannus* dicit, vel Particulariter, parti certæ corporis adhibitæ vel injectæ, sicque lotionis particularis, fomenti, stillicidij, clysmatis, errhini, &c. forma, vel aquâ ipsâ, vel luto, vel flore, vel calculo in usum ducuntur, deducendo vires, prohibentia, modum debitum, locum, tempus, durationem, symptomatum quorundam præservationem, curationem, ac diætam. Notari autem sub limen tractationis hujus desideramus, suadere nos iis, qui, gratia auxiliij, non studio voluptatis, Diis Baccho & Veneri liberius litaturi, ut *Cl. Hasenrefferus quondam noster p. m.* inquit *d. therm. Blas. cap. 6.* acidularum balneis utuntur, voluptas enim illa rarò absque noxa est, medicamento-  
sus enim & hinc sanis suspectus est illarum usus, nec corpus optimum indiget balneo, tradente *Gordonio d. conservat. vit. human. quest. 8.*, agere de acidulis in genere, singularem enim quarumvis explicationem alia scri-

pti requireret conditio, hinc, quibus specialia mineralia has vel illas dotant acidulas, vires singulares non adduximus, nulli dubitantes, generalia hæc singulis applicari posse, largientes, quandam hinc nonnunquam parere exceptionem aquas, in quibus alia commixta mineralia generalium vim obtundunt, aut singulare quid addunt; scribere de acidis saltem & potissimum, quin tamen aliarum aquarum medicatarum non acidularum usui externo applicari possint dicenda, non negare. Deriva, Fons Sapientiæ Inexhauste, in nos Gratiæ Tuæ Flumen!

THESIS I.

**V**ires acidularum indigitato modo adhibitarum delinaturi non in confidentiâ potius, quàm ipsis aquis, quærimus, ceu communis pro novi cujusdam mineralis fontis aqua externè usurpata cœcitatem sustulit, exemptâ opinione falsa & hinc etiam confidentia denuò induxit, si vera est historia, quam *Glauberus in explic. verb. Salomonis: In herb. verb. & lapid. magna est virtus, histor. 1. p. 14.* recitat, sed duos istos Medicorum Consiliarios, Rationem & Experimentiam consulimus, qui monstrabunt in illis, *Illâ ex aquæ calidæ & mineralium, quorum sub humido involucro profapiam referunt medicati fontes, ut loquitur Scholz de Marte sect. 1, à nobis dissertat. nostr. Inaugural. thes. 1.* explicatorum facultatibus & mixtionis modo, *Hæc ex longo ipsarum usu vires calefaciendi, refrigerandi, exiccandi, adstringendi, consolidandi, resolvendi, attenuandi, aperiendi, incidendi, digerendi, abstergendi, mundificandi, emolliendi, coquendi, discutiendi, imbibendi, absorbendi, temperandi, invertendi, putredini resistendi, tonum roborandi, motum partibus quibusdam singularem perversum corrigendi, tardum promovendi, nimium sistendi, laxa membra densandi, debiles partes firmandi, alvum movendi, calculum ac urinas pellendi, per urinam, sudorem ac insensibilem transpirationem humores cum salibus, sulphuribus, aliisque heterogeneis educendi, nam per omnia emunctoria acidulæ totum evacuant corpus, testante Celeberr. Rolfincio method.*

*rhod. med. Consultator. libr. 1. sect. 4. c. 2.* Repetantur hîc, si placet, quæ de generalibus acidularum viribus *dissertat. nostr. dict. thes. 2.* adduximus.

## II.

*At* in ipso hîc limine nos remorantur quidam, qui enarratis hæcenus acidulas gaudere viribus concedunt facilè, difficulter verò imò nunquam pro balneo aut alio usu calefactas; ignem enim tam vehementem volatiles illos in acidis spiritus abigere omnes, solum aquæ cadaver remanere, volatilitatem istorum spirituum satis arguere, imò demonstrare omnium virium & acoris omnis in per exigua viarum spatia transportatis vel vectis, aut brevi morâ post extractionem è scaturigine repositis, deperditionem, ob quam etiam plerique Medici calefactas ab haustu removeant, prætendunt. *His* reponimus, non omnem in volatili acidularum parte consistere virtutem, mineralia, quæ laudatis eas imbuunt viribus, ita iis esse commixta, ut ab igne omnia non abigantur; turgent quidem spiritibus, quod bullæ arguunt juxta alia *Cl. Brunoni Not. ad Jessenii iudic. d. sanguine è venasecta dimiss. p. 194.* sed non omnes isti sunt volatiles, quin non solum materiam fixam chalcanti sulphuris & aluminis habent, sed & eorundem spiritus infixos, ut loquitur *Faber Pallad. Spagyric. c. 17.* percunt quidam spiritus, qui in potu forent utiles, sed novi producuntur, exuscitantur sive liberantur calore isto coquente, quod de Ferinis suis Tuberanis etiam, quas acidulas *c. 8. p. 137.* vocat, in specie urget *Libavius d. iisd. l. 2. c. 5. p. 117.* Solvant aquæ illæ salia mineralia & secum vehunt, teste *Excellentiss. VVedelio, Profess. Jenens. in S. R. I. Acad. N. C. Collega nostro venerando, de menstruis c. 2.* reali contactu communicantur ipsis secundum *Avum nostrum b. m. memorabil. Medicin. cent. 5. partic. 37.* & ut falsæ partes lixivio, commiscuntur aquis nostris mineralia, tradente *C. Bartholino Enshir. Phys. l. 4. c. 4. sect. 10.* de quo arcto mineralium vaporum conjugio eum aquâ in acidulis agit *Becherus Physic. subterr. libr. 1. sect. 2. cap. 4.* mineramque talem essentialem misturam efficere dicit *Libavius d. iudic. aq. mineral. l. 2. c. 78.* ut vix imò non credamus *Jouberto paradox. decad. 1. paradox. 5.* statuenti, aquam aluminosam aut sulphuream solâ transcolatione reddi dulcem,

cem, nam & evaporatio fixiora contenta in acidulis Swidnicensibus monstrat *Cl. Sigism. Grassio Ephemerid: Acad. N. C. Ann. 4. & 5. obs. 97.* hinc secundum *Mockium de Aquar. affection. p. 61.* Acidæ aquæ in destillatione saporem suum genuinum retinent, imò & fæces ad candentis ferri laminam ustæ saporis minimè amiserunt, sed mordicus retinuerunt, quod tamen de omnibus nos non dixerimus, sed, etiamsi acor ab igne abigeretur, non statim etiam vires amittunt, ut inquit *Andernacus de therm. dialog. 2. c. 1.* Göppingensibus, ab igne si arripiantur, gustum abire, sed vires remanere, dicit *Theophrastus Paracelsus tract. 1. therm. c. 9.* pluribusque hæc probat *Cl. Mögling quondam noster p. m. de inconsiderato acid. us.* quæ causæ impulerunt, ut *Mindererus* acidulas omnes pro balneo valere externè *de chalcant. c. 11.* diceret, ibidem cautè *Cellenses* hujus Ducatus thermas cum acidulis non confundens, quod doctè contra *D. Castellum* monet *Verbez. Examin. dubit. prim. p. 59.* *Grafecius* suas Petrinas multis ægris utiles, quibus thermarum aliarum, ut *Marchicarum* & similium, usum varia prohibentia interdiciunt, celebraret *Scatebr. Petrin. part. 2. c. 4.* & *Dietericus* suas Swalbacenses bullientes multis thermis & naturâ & viribus superiores præferret *in Nota ad Sennert. Epistol. de iisd.* Accedit, quod Experientia monstret plures acidulas, quæ transportari se longè absque omnium virium defectu patiuntur, sufficiat, *Egranas* in dissitas longè provincias, *Swalbacenses* in *Sueciam* usque, imò *Spadanas* in *Indiam Orientalem* transvectas, cum salutari tamen effectu haustas allegasse; imò etiam illæ acidulæ, quæ subtilissimis aliàs turgent spiritibus, calefactæ non omnes amittunt vires, sed egregias adhuc obtinent & exerunt, quod *Dainacenses* nostræ nobiles abundè confirmant, quas non semel, etiam aliis thermis prohibitis, pro balneo tam universali quàm particulari felicissimo subsequente effectu ægris suavisimus.

## III.

Ob insignes igitur istas vires non solùm tanquam materia acidulæ externè adhibendæ indicantur à variis ac verè multis causis morbificis, morbis & symptomatibus, sed &, quod res ipsa loquitur, tam frequenter quàm feliciter illis opponuntur. Sunt autem: *Febres varia*, his balnea naturalia in  
 univer-

universum non convenire dicit quidem *Baccius de therm. l. 3. c. 1.* tamen, ubi intemperantia adhuc, non morbus sit, sed inæqualitatis potiùs dispositionem obtineat, illi commodè per balnea naturalia quædam temperata, (quales sunt acidulæ) obviam iri posse subjungit; at nonnullos per tres vel 4. dies in acidulis Dainacensibus se immergentes, postea v. medicamento purgante utentes post febres præsertim putridas non exiguum percepisse commodum ex non vulgarium Medicorum consilio scribit *Gabelkover. obs. Medic. cent. 3. annot. ad cur. 28.* easdemque potu & lotionem adhibitas varia febrilia symptomata sustulisse testatur *centur. 4. cur. 88.* cui etiam febrimodò hac modò alia quotannis vexatæ ac tortæ sibi balneum Dainacense benè profuisse scribit *Greinsia, cent. 5. cur. 59. Intermitientes quadam, tertiana,* contra cujus recidivam sua sit lotionem in modò dictis modò laudatus *Author cent. 3. cur. 9. Quartana,* cui imperatum balnei usum in genere circa statum non nocere, sed prodesse *Clar. Rolsincius de febris. c. 104.* quam sanare Gebersweilenses Sulzbacenses acidulas potu & balneo Deodatus *Panth. Hygiastic. l. 2. c. 15.* & in quâ curandâ præ omnibus totius Germaniæ acidulis Dainacenses palmam ferre multâ edoctus experientiâ, exempla quædam adducens testatur *Gabelkover. cent. 6. annot. ad cur. 81. Chronica,* ab his detentos in ipsâ tinâ balnei paroxysmum perpetientes usu laudatarum Dainacensium melius habuisse *Idem refert loc. cit. Scorbutus,* commendante acidulas Braubacenses & Lansteienses *Theodoro Hydrothesaur. nov.* (quem librum pulcherimum vocat *Clar. Cellarius quondam noster beat. m. Meteorolog. sect. 32. articul. 2.) c. 26. & 31.* hujus indolis si sit paralytis, balnea calida ex sulphure & alumine *Röthenbek de scorbut. cap. 5.* thermas leniter calefacientes, non nimis exiccantes *Dravviz de scorbut. p. 179.* & lutum Swalbacensium *Celeberrimus I. D. Horstius, in S. R. I. Academ. N. C. Collega noster suscipiendus,* laudat, ac instar lumbricorum juvare dicit *de iisd. p. 57. morbus Gallicus,* in quo contra multos improbantes Pifanas suas sulphureas & aluminosas, hinc acidulis similes, egregiè commendat *Mercurialis d. Balneis Pisanis c. 7.;* eam tamen cautionem, quam *Palmarius d. lue vener. l. 2 c. 1.* movet, non in principio, sed medio vel fine adhibendam de balneis aquæ

aquæ dulcis, nos nostris etiam applicamus, exemplo bino edocti Ribellauenses dicto tempore multum profuisse, *apoplexia, coma utrumque, lethargus, carus*, quæ in Catalogo à Petrinis præservandorum & curandorum recenset *Grafseccius l. c. p. 219. memoria læsio*, cui Hirschbergenses aquas inter alia alumen, vitriolum & sulphur possidentes opponit *Schvvenckfeld d. iisd. p. 48.*, modò dictas *Grafseccius*, & feliciter in ægro quodam opposuit *Proavus p. m.* acidulas Gœppingenses, ut in *obs. MS.* testatur, *Vertigo*, sublata in Nobili quodam & Chirurgo ab acidulis Swalbac. bullientibus *observante VVebero, de iisd. Epistol. ad Dieter.*, in qua tamen nè lavans æger aquarum commotionem videat, sed ut per siphonem in labrum tectum aqua injiciatur salutari consilio & effectu felici monet *Matthaus d. thermis Marchic. Badens. p. 60.*, *paralysis*, in qua balnea ex aquis sulphureis, aluminosis, naturalibus non parum auxilii afferunt ex mente *Dominici Leoni Prax. l. 3. sect. 1 c. 2.*, quæ intrare jubet paralyticos *Arnoldus Novicomensis. d. morb. curand. l. 1. c. 24.*, & *Bacchanellus d. consens. Med. in cur. morb. l. 2. p. 323.*, ac profuisse testatur *Maderus de Resolutione, & 27.* & paralytin universalem sublata Swalbacensium bull. usu adducit *Dieteric. d. iisd p. 109.*, *paresis à colicâ*, hanc fotum cum aquâ pluviam curasse, citius vero restitutionem secutam fuisse, si cum thermis (addimus acidulis) institutus fuisset, tradit *VVinclerus in Ephemer. S. R. l. Ac. N. C. ann. 3. schol. ad obs. 308. Ræsleri, nam pareticorum maximam partem naturalibus balneis sanatam dicit Erastus disput. contra Paracels. part. 4. & Schenkius obs. l. 1. obs. 158.*, quam & Wildungensibus acidulis submovendam suadet ob plures rationes *Horstius observ. l. 2. obs. 15.*, quæ post colicæ recidivas ac frequentes epilepticos paroxyfmos obveniens Dainacensibus sublata est *testante Gabelkov. cent. 1. cur. 95.*, ac haud semel in Illustribus & aliis utriusque sexus Personis earundem, Gœppingensium, Ebenhusanarum, Niderowensium usu consilio nostro curata est, ubi tamen *P. de Spinâ in Epist. ad Dieteric. d. acid. Svalbac.* adductam cautelam nonnunquam observandam inculcamus, *Stupor*, acidulas hinc Daunerbecenses *Theodor. l. c. c. 46.* laudat, *Melancholia*, cujus tollendæ gratia feliciter suasit thermas Aquarianas *Trincavellius recensente Helidao Padoano Curat. & Consil. p. 36.* & melancholicis ac cras-

fo terrenoque humore oppressis balneum naturale sulphureum suadet *Fernelius method. med. l. 2. c. 20.* *Tandleri* tamen hic monitum de aqua dulcis balneo de melanchol. p. 138. & de balneis naturalibus *Manardi Epist. Medic. l. 9. Ep. 2.*, nè nimis exiccent, nos & hic attendi volumus, *Hypochondriaca*, quam in Nobilitate vehementem, ut aliquot millibus impensis nequaquam restitui potuerit, *Swalbacenses*, *Dieterico notante*, p. 112, & in muliere ita ferocientem, ut preces publicæ ab Ecclesia pro ea factæ fuerint *Dainacenses*, *Gabelkovero teste cent. 2. cur. 26.* abegerunt, *Mania*, maniacos & furentes sanare probatæ sunt *Aqua Sinuessanæ*, quæ sulphure cum multis conveniunt acidulis, & potu acceptæ & extrinsecus administratæ, inquit *Mercurialis Pract. l. 1. c. 16.*, *Convulsiones*, queis detento ægro balneum in sulphureis & aluminosis aquis imperat *Valescus d. Taranta, Philon. Pharmaceutic. l. 1. cap. 27.* & infessum in acidulis *Kissingensibus* utilem perhibet *Steeg. de Fonte acido Kissingensi, c. 17.*, *Affectus spasmodici*, contra quos juvant *Swalbac. bullientes*, teste *Celeberr. J. D. Horstio l. c. p. 175.*, *Epilepsia*, quam ex utero oriundam *Wisbadenses*, sulphur & alumen juxta alia ferentes, sustulerunt, *Vebero de iisd. libr. 3. sect. 1. c. 3.*, *Swalbacenses*, *Dieterico de iisd. p. 111.* & *Berstingenses*, *Fuchsio in Prælect. Academic.* exemplum adducente, *Hydrocephalus*, quo oppresso balnea sulphurea præcipit *Primios. de morb. pueror. part. 2.*, & *Engstingenses*, quas *Ebenhusanis* minores non esse dicit *Vielandus d. Acidul. Alpinis*, epithematis modo applicitæ præter spem nostro suasu profuerunt, *Catarrhi*, quos in variis corporis partibus se exerentes cum capitis dolore sæpius laudatæ *Dainacenses* expulerunt, referente *Gabelkover. cent. 2. cur. 4.*, *Oculorum obscuritas*, quibus serenantis utiles *Swalbacenses* dicit *Hörnigk l. c.*, *Suggillationes*, nimia humiditas, quibus contraire *Oberowenses* aquas aluminosas de sulphure aliquid participantestatur *Ampliss. Colleg. Medic. Tubingense in iudicio de iisdem*, *Pterygia*, quæ submoveri elutione oculorum aqua balnei prope pagum *Wisen*, etiam *S. Jobi dicta*, ob alumen, sulphur & vitriolum acida, vult *Pansa de ead. c. 4.*, *Aurium tinnitus*, *surditas*, quæ mala ex nimio tormentorum bellicorum fragore oborta in quodam rei tormentariæ Magistro *Swalbac. fons bulliens curavit*, ut tradit *Veberus in Ep. ad Dieter.*

& auditum roborare lotiones cum thermis sulphureis ad *Pe-  
noti* mentem scribit *Löberus Anchor. Sanit. sect. 2. Practic. Dia-  
log. 7. Ceruminis induratio, aurium ulcera, vermes,* ad hæc *Wemb-  
dingenses suadente Reusnero de iisd. p. 127.* sic rusticus, cui dor-  
mienti in aurem infectum penetrarat cum dolore tantum non  
furiante, acidi fontis Spadani aquam auri immisit, mox ver-  
mis à rosione & puncturis abstinuit, nec multò post frustatim  
eductus est, *Heer Spadacren. c. 9., Fluxiones in aures,* quibus  
contrait acidulis Ciffensibus & Wehrensibus *Rulandus Hydria-  
tric. sect. 1. p. 3., Fluxus per nares sive sanguinis, sive phlegmatis  
nimius,* istius tardare *Göppingenses Thurneysserus d. aquis libr.  
5. c. 7.* hujus emendare *Niderowenses Planerus in Praelectionibus  
Academ. dicit, Polypus, suadente Columbinas suas Libavio l. c.  
l. 2. c. 16. p. 172., Dentium dolor,* in quo pro omni hac in parte  
remedio non solum thermas Carolinas, sed & alias medicatas  
aquas anodynâ suâ vi sufficere dicit *Strobelberger de dent. podagr.  
sect. 1. c. 41. & Kerlichenfes laudat Theodorus l. c. c. 55., Stu-  
por, immundities, vacillatio, gingivarum, tumor, putredo, flac-  
cidity, exesio, glandularum maxillarum & vicinarum, vaso-  
rum salivalium, tonsillarum & uvula tumores, dolores, vulne-  
ra, ulcera, & ob hæc anhelitus foetor,* contra quæ non solum suas  
Alfaticas laudat *Clar. Sebiziis de acidul. dissert. 1. sect. 2. n. 120.  
& seqq., & contra humidos dictarum partium affectus bal-  
neum ex chalcantosis aquis Mercatus d. reët. presidior. Artis  
Medic. usu l. 1. c. 13.* commendat, sed & feliciter, post tot gar-  
garismos frustra usurpatos, *Göppingensibus se usam fuisse,*  
dum hæc scribimus, per literas ægra quædam non infimæ con-  
ditionis refert, *in morbo Hungarico & similibus cum torrentur  
fauces & lingua cum palato,* *Tuberanas aquas suas coctas multum  
conferre censet Libav. l. c. l. 2. c. 16. p. 172, Ranula, Wembdin-  
gensibus supra adductis aquis ex consilio Reusneri p. 129. com-  
pescenda, varia faciei macula & tubercula,* *Dünckollenses  
Theodoro laudante, l. c. c. 28., Capitis tineæ,* *Broylenses commen-  
dante Eodem c. 34., Struma,* adversus quam aquas sulphuris vi  
discutiendi vim possidentes pro potu & balneo cum *Riverio  
obs. cent. 1. observ. 76.* suadet *Marci d. Scrophul. s. strumis, c. 15.,  
& Petrinæ externè juvisse dicit Hambergerus in Praelect. Aca-  
demic., Colli rigiditas,* sic contra catarrhum circumgyrationem

capitis impediendam aquas sulphureas quid aluminis admixtum habentes potu, balneo & stillicidiis adhibere in capite & parte læsâ consulit *Montanus Consult. Medic. consult. 51.*

## IV.

*Cordis palpitatio*, quam sedaturus aquas sponte è terra natas sulphureas in balnei forma commendat *Atilius Bulgetius de affect. cord. l. 2. c. 11.* *Sanguinis sputum*, hujus enim eruptiones ex thorace aquarum aluminosarum & chalcantiosarum balnea compescere dicit *Agricola de natura eorum, quæ effluunt ex terra, l. 2. p. 542.* & ipsi epithema ex acidulis Ebenhusanis hoc in casu profuisse novimus, *orthopnoea*, in qua concedit *Suvalbac bull. Geilfusius d. Suvalbac. acid. p. 47.* *mammarum flacciditas*, quas firmare nititur Spadanis suis *Heer l. c.* *Ventriculi qualitatum anomalia, inflatio, dolor, fermentum degenerans, coctio deficiens*, nam acidulas in balneo usurpatis ventriculum roborare docet *Matthæus specul. sanitat.* ut colligere est *ex cap. 3. & 9.* quod in specie præstitisse Gøppingenses testatur exemplo *Job. David Camerarius in obs. Manuscr. Fibrarum & tunicarum laxitas*, non solum enim has sed & alias partes laxas adstringendo agere acidulas dicit *Higbmorus de affect. hypochondr. c. 7. singultus*, contra quem *Hirschbergenses* suas supra nominatas agere tradit *Schvvenkfeld p. 49.* *nausea*, nam appetitum excitare aquas chalcanti & aluminis vi imbutas in balneis adhibitas scribit *Sebiz. de aliment. facultat. l. 4. c. 1.* *Vomitus tam cibi, quam variorum humorum*, quem quasi perpetuum in quodam acidulis Dainacensibus juxta potum immergi jubens curavit *Gabelkov. cent. 3. cur. 27.* *Intestinorum laxitas, motus deficiens, inversus spasmodicus*, quo in casu plerasque nostri Ducatus acidulas sæpius maximo cum fructu adhibere jussimus, *lumbrici*, *Awenenses* dictas contra hos laudat *VVecker l. c.* *hernia*, talem in Capitaneo sustulit *Swalbacensis* susurrans fons docente *Hörnigk l. c.* *Ani proci-dentia*, quem repulit nostro suasu fomentum ex acidulis juxta pagum *Imnovv* scaturientibus, *fecum involuntaria excretio*, commendat enim hîc *Egranas Macasius de isid. c. 9.* & ex nimia inter pariendum distentione si oriatur, *Tuberanas* s. *Columbinas* suas *Libavins l. c. l. 2. c. 10. p. 148.* *Diarrhœa*, enema hîc ex acidulis *Petrinis* unâ etiam aliis coctis applicare jubet *Grassecius l. c. part. 2. p. 373.* *Dysenteria*, nam sanguinis eruptiones ex ano

compescere balnea ex aquis aluminosis *Fuchsius instit. med. l. 2. sect. 5. c. 28.* & quomodo hanc Swalbacenses curent, *Hörnigk quest. 89.* docet, *Hypercatharsis, tenesmus*, quæ nuper modo acidulis Berstingensibus fomenti modo applicitis in quodam sedavimus, *alvi constipatio*, quam laxare Offenawenses falsas dicit *Rochius, de iisd. Colica*, quam diurnam lotio in acidulis Dainacensibus amovit, observante *Gabelkov. cent. 2. cur. 6.* lotiones autem in genere hîc tempestivè adhibendas esse monet *Fienus de flatibus c. 21.* posse tamen thermas sine paralyseos metu adhiberi asseverat *Hattenbach. de colica §. 51.* *Passio iliaca*, in hac balnea in genere ebullitiones sanguinis sedare, quia digerunt, statuit *Lindanus select. Medic. Exerc. 8 par. 94.* Göppingenses commendat *Hildesheim de morb. cap. & cerebr. intern. spicileg. 6. p. 531.* cum quibus in genere Iberkingenses ejusdem naturæ esse dicit *Solenander Consil. Medic. sect. 1. Consil. 10.* *Morbus hypochondriacus*, cui abolendo Egranas instar Panacæ commendat, tam internè quàm externè nostro consilio usurpandas, *Gravel de cura ægri hypochondriaci*, jungere etiam superioribus haud pauca alia de nostris exempla possemus, *hepatis & lienis obstructions*, has contumacissimas incantamenti instar, frustra tentatis aliis, acidulis & balneis curatas scribit *Friccius de poris corporis human. §. 306.* & quod de acidulis in genere dicit *Nicolai de obstruct. & reserat. lienis §. 100.* nos in specie lotioni nostræ applicamus, experientiâ edocti Griesbacenses & Göppingenses id non semel præstitisse, *tumores*, hi ut supprimantur, fontes acidos in Arduenna sylva sitos commendat *Ronssens Epist. Medic. ep. 34.* *scirrhusi præcipuè*, contra quos in utroque viscere lotionem in Göppingensibus laudat *D. VValch. ultra 50. annos ibid. Physicus quondam Ordinarius vigilantissimus, de iisd. p. 22.* *Vasorum sive sanguini, sive chylo, sive lymphæ vehenda dicatorum, glandularum obstructio, laxitas, continui solutio, exiccatio*, & hæc, ut *Deckers in Prax. Barbettian. not. ad l. 4. c. 4.* docet, sequi solitus *hydrops*, in quo balnea quævis calida poros commodissimè aperire perhibet *Sylvius Prax. Med. l. 4. tract. 6. §. 123.* aliis medicatis naturalibus sulphurea præfert *VVierus obs. de hydrope, p. 78.* & præcipuè Göppingenses, Owenses & Iberkingenses extollit *Saltzmann de thermis, renum & ureterum obstructio.* contra quam acidulas in Mendich *Rulandus Hydri-*

*trio. sect. 1. p. 22.* adducit, *Laxitas*, ad renes enim corroborandos aquarum thermalium sulphuris & aluminis mineram obtinentium usum probat *Veslingius obs. & epist. obs. 11. Renum & vesicae exulceratio*, cujus curatae memorabile exemplum ab Antegastensibus vidimus, *Nephritici dolores*, quos variis stipatos symptomatibus usus acidularum Dainacensium sustulit, *laudante Gabelkovero, cent. 2. cur. 24. Calculus*, expulforum hinc calculorum multa suppetere exempla à balneis acidul. Swalb. bull. *Hörnigk quest. 70.* testatur, *Sabulum*, quod propellere Dainacenses Leporinus docet de iisdem, *mittio involuntaria*, quam in puero septenni Ebenhusanae nobis svadentibus adhibitae sanarunt, *Ischuria*, quae tortum in acidulis Egranis immergi jubet *Macasius de iisd. cap. 9. p. 129. Stranguria*, contra quam ἀνομιαν λήθη sulphurea commendat *Cl. Schuster de strangur. §. 86. Diabetes*, huic contrariari aquas dictas supra Oberawenses laudat. *Colleg. Medic. Tubingense* iudicat, *pollutio nocturna*, quam ab acidulis Dainacensibus impeditam bis vidimus, *Gonorrhœa*, contra hanc Spiegelbergenses commendat *Theodorus l. c. c. 58. Frigiditas*, quae languentibus Aponitanas aquas pro lotionem à *Fonseca consult. Med. consult. 86* & acidulas in Selters scaturientes sive Kambergenses laudat *Grübelius d. Frigidis cap. 14. Pudendorum pruritus, ulcera*, Paderbornenses hinc juvare dicit *Theodor. c. 59. Scroti tumor*, cui adhibet Embsenses acidulas *Idem c. 30. Mensium fluxus nimius*, contra quem aquis acidis insignem adscribit prerogativam *Gabelkov. cent. 4. annot. ad cur. 92. & 93. Inordinatus, stillicidium*, balnea sulphurea sed actu calida administranda suadente *Capivaccio, Med. pract. l. 4. c. 3.* Swalbacenses præcipiente *Hörnigk quest. 70. Albus*, cum *Celeb. Sebizio Manual. pract. p. 1579.* hinc aquas sulphureas & aluminosas *Rollius* laudat *d. fluor. alb. c. 10. §. 17.* & singulare Electuarium post tale balneum sumendum præscribit *Fontanonus de morb. intern. curand l. 3. c. 19.* Petrinas suas *Grascecius part. 2. p. 406. Suppressio*, balnea ex aquis mineralibus suadet *Donatus ab Altomari de medend. human. corpor. malis p. 577.* Swalbacenses laudat *Hörnigk quest. modò dict.* *Abortus*, mulieribus enim sine causa manifesta abortientibus aluminosas & atramentosas aquas prodesse scribit *Fuchsius Inst. l. 2. sect. 5. c. 28.*, quod exemplo Engkingensium *Avus noster b. m. in obs. Manuscr. probat*, nosque ipsi de

de nostris Göppingensibus & aliis experti sumus, *Sterilitas*, a-  
 quas sulphure abundantes hîc suadet *Friderici de sterilitat. mu-  
 liebr. c. 12.* & à causâ calidâ ac malâ temperie si fit, maximam in  
 hoc casu efficaciam esse thermarum, quas acidulas vocant, tra-  
 dit *VVittichius ex observat. Schröteri consil. medic. 60.* quotidianâ  
 in specie confirmante experientiâ, *uteri procidentia*, quam in  
 muliere curatam à Svalbacensibus testatur *VVeberus Ep. cit.*  
*Intemperies, frigida præsertim, laxitas, inflatio*, contra quas Spie-  
 gelbergenses *Theodor. l. c. c. 58.* & Swalbacenses *Hörnigk l. cit.*  
 laudant, *Exulceratio*, ulcus enim ipsum & universum uterum  
 aqua aluminosa si ablueris, commodè feceris, cum *Mercato de  
 affect. mulier. l. 2. c. 20.* dicit *Spachius libr. Gynæciæ p. 960.* quo in  
 casu & acidularum Berstingensium usum commodum aliquan-  
 do vidimus, *ab eo suffocatio*, quam Swalbacenses curaverunt  
*referente Dieterico pag. 110.* *Hæmorrhoides dolentes*, contra quas  
 Svalbacenses *Hörnigk l. c.*, *Nimia*, Petrinæ commendat *Gra-  
 secc. l. c. p. 388.*

## V.

*Corpulentia nimia*, quam imminuere dicit Egranas exter-  
 nè adhibitas *Macasius cap. 9.* *Cachexia*, qua deformatis balnea  
 sponte enata sulphur aut atramentum sutorium sapientia pro-  
 ficua dicit *Actuarius method. med. l. 3. c. 10.*, *Icterus*, quem cum  
 insigni siti conjunctum lotio in Dainacensibus ultra tres septi-  
 manas continuata absterfit ex consilio *Gabelkov. cent. 3. cur. 37.*  
 præsertim quendam ictero nigro & quartana admodum exte-  
 nuatum, ut ambulandi usu planè destitueretur ab iisdem resti-  
 tutum, Calwam pedestri itinere venisse testatur *Idem cent. 6,*  
*annot. ad cur. 81.* *Chlorosis*, discoloratis virginibus inter alias  
 Stoebenses acidulas (nostrum etiam nos laudamus modum) non  
 levem promittere salutem dicit *Evvald de chlorosi c. 12.*, *Tre-  
 mores*, contra quos Kissingenses laudat *Steegh de iisd. c. 17.*, apo-  
 plexiam si minentur, aquis sponte natis sulphuris vim haben-  
 tibus utillimè nos uti dicit *Forestus obs. libr. 10. schol. ad obs. 85.*  
*Lassitudinis varia genera*, Pœnterenses commendat *Ruland. l. c.*  
*sect. 1. p. 8.*, *Phtiriasis*, laudante Birckenfeldenses *Theodor l. c. c.*  
*65.* *Sudores nimii*, adversus quos Lenzingenses propè pagum  
 Daun conferre dicit *Idem c. 44.* *Tabes absque febre*, Swalbacen-  
 ses hîc suas laudat *Hörnigk. l. c.*, *Frigus per totum corpus*, exem-  
 plo

plo confirmat de his *Dietericus p. 112.*, *Fætor corporis, præsertim alarum & pedum*, quem emendare Petrinas & Griesbacenses dicit *Cl. Sebizi d. acid. dissert. 1. sect. 2. n. 120. & 121.*, *Arthritidis*, in qua balnea *G. Bruele, Prax. p. 399.* & thermas sulphureas non autem multum aluminosas *Schænborn Manual. Medic. Pract. p. 245.* commendat, quas sæpius eam curasse testatur *Sylvius consil. à Garzio collect. p. 42.*, ut hic *Spigelius benè præsumat d. Arthritid. p. 97.*, Mercatum balnea quæcunque in arthritide improbantem rarò naturalibus sine dubio usum fuisse, rationes enim, quas *Crato pro Hirschbergensibus adducit Epistol. Medicinal. p. 248.*, optimè quadrant etiam acidulis, & hinc *Dainacenses* in hac profuisse testis etiam est *Gabelkov. cent. 4. cur. 58.* ea tamen, quæ *Magnus noster Sennertus d. arthritid. quæst. 12.* tradit, & nos hîc observari volumus, *Podagra*, in quâ etsi quibusdam thermæ fuerint noxiæ, de quibus *Thonerus obs. libr. 4. obs. 2.* non tamen omnem nostrarum usum tollit, hinc & *Exc. Greifelius in S. R. I. Acad. N. C. Collega noster colendus & ante & post lactis usum thermas non improbat d. lactis us. in arthrit. p. 168.* & extra hujus paroxysmum motus impotentiam in *Comite Illustrissimo & Clarissimo Theologo* non solum sustulisse sed & à gravioribus insultibus præservasse *Swalbacenses* sæpe laudatas *Gr. Horstius obs. libr. 8. obs. 3.* tradit, hîc simul. & *Mendichenfes* commendat *Theodorus c. 56. Ischiadicus dolor*, hic à bile si sit, naturalia balnea refrigerantia, utpote *Lucensia & similia* commendat *P. Salius Diversus d. affect. particular. c. 16.*, hunc contumacem *Dainacenses & Ebenhusanæ* ad nostrum præscriptum adhibitæ non sedarunt modò, sed & sustulerunt, *Lumbago*, contra quam *Croneburgenses* commendat *Theodor. c. 68.*, *Nervorum flacciditas* queis corroborandis balneum ex aquis sulphureis & aluminosis parat *Deetzius d. arthrit. §. 76.* aquis etiam limum addit à *Brunn System. Mat. Medic. p. 173.* *Exiccatio, inundatio, ligamentorum ac tendinum contractio, durities, laxitas*, quibus plerisque prodesse dicit acidulas in valle *Conderensi Theodor. c. 53.* *Articulorum infirmitas*, quos roboraturus immergat in acidulis suadente *Silvatico, Consil. & Resp. Medic. cent. 3. obs. 94.* quo in casu lutum magis ad rem quàm balneum dicit *Liberatus Podagr. Politic. p. 219.* *Extremorum nimia refrigeratio*, quæ in tibiis facta difficilem ambulationem & scabiem

post

post se trahens Dainacensibus curata fuit ex consilio *Gabelkov. cent. 3. cur. 37.* *Spasmus ventosus*, contra quem acidas in valle Bellensi agere perhibet *Theodor. c. 51.* *ulcera varia*, hæc sanare & efficaciori vi ea, quæ in partium cavitatibus delitescunt, exiccare Fontem Niderowensem dicit *Grüling de triplici univ. evacuat. part. 3. p. 87.* carnem in iis generare Tyllenses & alias Baccharaco vicinas *Theodor. c. 34.* perhibet, etiam *phagedanica sive mali moris*, fontem medicatum in Stridelhof in puero hydroptico curasse testatur *Gr. Horst. obs. l. 4. obs. 32.* non tamen temerè hîc agendum, quod & de thermis ad mentem Fabric. monet *Alberti de ulcer. natur. & curat. §. 57.*, *Fistula*, quas gravissimas à balneis naturalibus sanari dicit *Barbette chirurg. l. 3. c. 5.* palliativam quidem vocat curam *Jonstonus Id. Med. pract. l. 1. titul. 4. c. 1.* quæ sola exiccatione fistulas consolidat, valdè tamen non absque ratione commendat *Exc. 7. D. Horstius Svalbac. bull. l. 6. p. 175.*, *Vulnera*, partes vulneratas ad meliorem statum reducere Ribelfovvenfes dicit *Cl. Sebizi. l. c. n. 126.*, *Tumores varii generis*, contra hos acidulas Trevirenses *VVeckerus l. c.* laudat, *Erysipelas*, quod neglectum varia inducens symptomata curavit simul & præservavit lotio in Dainacensibus, *Gabelkov. cent. 3. cur. 12.* & *Idem*, vidi quendam, inquit, à collo usque ad umbilicum maximo & ferventissimo erysipelate correptum in acidulas Dainachenses se immerfisse, in iisque non solum ardoris contemperationem, verùm etiam integram sanitatem consecutum fuisse, multis Idiotarum summoperè mirantibus, qui madorem quemcunque cane pejus & angue oderunt, *cent. 2. annot. ad cur. 74.* *Oedema*, cui opponit acidulas Spiegelbergenses *Rulandus l. c. sect. 1. p. 19.* *Verruca*, his Petrinas adscribit *Grafec. l. c. p. 422.* *Nodi*, hos dissolvunt Antegastenses teste *Sebiz. l. c. num. 125.* *Tophi recentes præsertim*, quibus Spiegelbergenses prodesse *Theodor. c. 58*, dicit, *Cancer*, hunc Pönterenses acidas *Idem c. 32.*, hujusque indolis ulcera Gebersvveilenses sanare dicit *Sebiz. l. c. num. 127.*, *Scabies*, contra hanc lutum Svalbacensium suadet *Gigas de scabie c. 14.*, aquas de Petriolo valdè profuisse testatur *Victorius Empiric. l. 3. c. 4.* & Leyningenses acidas consulit *Ruland. p. 23*, eandemque molestantam & crustosam ex refrigeratione corporis in aqua frigida ortam Dainacenses solverunt ex suasu *Gabelkov. cent. 3. cur. 21.*, hinc

manuum scabiem à lotionè auctam, quod *Martheus Hörnigk d. Egranis*, factum dicit, non ipsis, sed minùs methodicæ administrationi imputandum iudicamus, *Pfora*, in hac thermas prohibet, sulphure tamen tinctas aquas admittit *Hafenrefferus quondam noster b. m. de affectib. cut. l. 1. c. 16.*, *Lepra*, in hac Antegastenses laudat *Sebizius l. c.*, & aquarum naturalium, præsertim aluminosarum ferrumque recipientium, & si fieri possit frigidarum usum maximè necessarium dicit *Forest. obs. Chirurg. l. 4. schol. ad obs. 7.*, *Impetigo*, *Lichen*, Dainacenses Leporinus hîc, *l. c.*, *Pruritus*, Oberbornenses & Underbornenses *Veckerus l. c. p. 24.* aliæque cutis fæditates, Lonquichenses & Mertersdorfenses laudat *Idem p. 28.*, *Contusiones*, *Fractura*, in his Ribelsauenses commendat *Sebiz. l. c.* & Göppingenses *Theodor. c. 80.*, *Luxationes*, in his modò dictas Göppingenses prodesse *Hildesheim. l. c. p. 531.* dicit, imò dolores à veneficiis, nam coxæ dolorem cum insigni nervorum contractione ab incantatrice vetula inductam diu senserat quidam, qui à lotionè in acidulis Svalbacensibus bonam partem melius habuit *observante Hörnigk in Epist. ad Dieteric. de iisd.* Hæc tot ac tanta, quæ p. n. nos afficientia acidulæ nostro modo adhibitæ alterando roborando & vacuando tollunt, non tamen eò nos adigunt, nè veterum aquarum miracula, vel Siloes piscinæ, vel Jordani Naamum sanantis jam deinceps stupeamus, quod quosdam de Spadanis ad blasphemiam usque facere dicit *Helmontius d. Font. spadan. paradox. 5. num. 4.*

## VI.

Nam absque discrimine non quivis ægri dictis morbis aut symptomatibus divexati statim acidulis immergendi sunt, hinc *Acutiss. Willis de animâ brutor. l. 2. cap. 9.*, nè paralytici thermas absque Medici consilio tentent, monet; haud pauca enim sunt, quæ earum usum externum, universalem præcipuè vel omnem, vel saltem ad tempus *prohibent*. Illa vel in ipsis sunt *acidulis*, *Dissert. nostr. dict. th. 7.* exposita, hîc repetenda, præsertim verò nostro tempore, ut hîc vel ibi à Martis pullis patiantur acidæ detrimentum, metus est, qui & *Hæchstetterum obs. med. decad. 5. cas. 2* tenuit, dum Fiderianas commendat, nî furens Mars iis quod damnum dederit; nec verò semper infelices effectus aquarum corruptioni imputandi, quam

quam maculam *Aleandus d. Balneis Calderianis* Aponitanis aquis inurit, sed alias subfuisse ibi rationes credimus; Vel in *subiecto* hærent, qualia sunt, temperamentum nimis, ut vocant, biliosum, particularum in sanguine sulphurearum & acrium major debito, serosarum mitium minor quantitas, ad febrem hæcticam aut lentam tabificam proclivitas, ad sanguinis ebullitionem facilitas, & ætas puerilis, nam hos ab ordinariâ curâ corpus eorum molle, tenerum, facilè resolubile, non tamen ab omni lotione non nimis calidâ, non diuturnâ, non universali excludit; Senes etiam hinc abire quidam jubent, verum primos & quosdam medios cum calore aquarum remissiore, & mora in iis brevior admittimus; Gravidas verò hinc exesse jubemus cum *Cl. Sebiz d. abusib. in acidul. error. 4. & Cummio d. conceptione cap. 11.*, quia uterum cum vinculis laxarent, menses moverent, & sulphureas aquas, *Dioscoride teste, l. 5. c. 73.* sibi infensas habeant, non tamen ablutionem interdiciamus omnem, hinc eas, quæ in acidulis Svalbacensibus feliciter, nec diu nec sæpè lavisse testatur *Hörnigk quæst. 76.* A magnis aut gravissimis morbis convalescentes qui vires adhuc valdè dejectas sentiunt, itidem, antequam quodammodo vires recollerint, hinc non statim recipiendi, quod prudenter de Avvenibus monet *Rentzius de iisd. c. 5.* Quà balneum eandem, quam quà potum phthisici hinc audiunt sententiam, vetat enim ulcus, febris & tabes, licet aliquando imminentem à menstruorum defectu phthisin LiebenCellensibus thermis præcaverit *Höchstetterus*; nec mitior dictatur, qui ad phthisin directâ & apertâ perunque viâ procedunt nonnunquam, nonnunquam repunt, hæmoptoicis, quos supra ad particularem saltem admisimus usum; abigit etiam inflammatione viscerum laborantes à thermis *Erschenreuter de therm. § 3. p. 4.* Nec solatium in paroxysmo hinc quærant arthritici, cum materiæ morbificæ calorem, motum ac copiam in affectâ parte intendant, ast in dolorum induciis, ut inquit *Rolfincius method. cognosc. & cur. partic. corpor. affect. l. 4. c. 1.* nec ad aliam nos cogit sententiam blandiens nonnunquam dolorum, dum in aquis sunt, remissio, multum enim postintenduntur; Alvo obstructa, primis viis inquinatis, plethora aut cacochymia multa præsentente, itidem nostras admoveere aquas non audemus, nè methodum medendi universalia

20  
Dissertatio medica

interna externis præmittenda præcipientem invertamus, humores copiosos fundamus, mordaces acuamus, ebullientes concitemus, similiter massâ sanguineâ salibus jam dum sylvestribus acribus & acidis imprægnatâ, nè liquentur, aut fusa in viscera principaliora deferantur; à balneis naturalibus abstinere jubet *Clar. Fr. Hofmann. meth. med. l. 1. c. 11.*, his non remotis quod corpus non debitè præparatum fuerit, quid nocuerit in Herode Tyranno illo *παίδου τόνω* ex *Joseph. l. 17. c. 8.* etiamsi singulare quid fuerit, tamen naturaliter etiam deducere conatur *Lange de therm. Carolin. c. 6. num. 13. & seq.* Quomodo autem removenda, *dissert. nostr. thes. 8.* modum hîc repetendum proposuimus, monitum I. Horatii Molitoris, nè Medici per medium imò integrum annum corpus ad thermas artificiales disponant tot purgantia repetendo, & hîc inculcantes; nève V. S. ad libras integras sæpè ad animi deliquium, quod in acidulis nonnunquam fieri *Exc. Tackius Chrysogon. animal. & mineral. p. 111.* conqueritur, instituat. Quæ ad tempus usum acidularum nostrarum prohibent, sunt ea, quæ & hîc ex *dissert. diet. thes. 9.* repetenda rogamus, colicos, arthriticos, nephriticos & ejusmodi ægros primis diebus inquilino eorum hoste ab usu aquarum evigilante non statim cessare, sed bonâ spe adhuc pergere jubentes.

## VII.

*Modum lavandi* nunc exponemus Artis nostræ præceptis convenientem, non abusum allamoda, quem in aquis mineralibus, ceu in vestiendo, communem esse dicit *Panarolus Zærologism. pentecost 3 obs. 50.* Aqua acida pura per canales, quorum varii in variis balneis sunt modi, mundos, hinc FRIDERICUS, Wirtembergiæ Dux glor. mem. Constitutione in Scatebris Petrinis observandâ, *par. 4.* quotannis eos sedulo studio repurgandos mandat, in ahenum s. caldarium derivata mundum calefiat non Sole, qualem modum aquam calefaciendi quanquam rarò observatum adducit *Pamphilus Herilacus de aquar. natur. & facultat. l. 4. c. 20.*, sed igne, non tamen curiosâ sollicitudine certis tantùm lignis excitato, coquatur, aliquando probè, nam multum referre quâ vires, si aqua mineralis ad medietatem aut diutius coquatur, dicit *Eisenmenger de Fonte Elinensi, p. 24.*, ejusque calor primò temperatior sit, sensim ad majorem

majorem ascendendo, nunquam autem ad elixationem quasi corporis, ut malè quidam faciunt, nam nimis calidum balneum resolvit vires & exiccat, ut de dulcis etiam aquæ *Clar. Timæus Epist. Med. l. 3. ep 31.* loquitur, sit pro iis, qui ad frigidiorē inclinant constitutionem, calidior, quàm, qui ad fervidiorē, ut ubique sibi æqualis sit, manu agitata, cautè *monente Botallo de lue vener. c. 30.*, in quovis balneo nova, prior enim si denuò adhibeatur, viribus multis destituta, saturata quasi, & variis sordibus inquinata erit, quod vel inde apparet, quòd ministri illi lavantibus diu adstantes de ægrorum affectibus ex aquà post lotionem sæpè haud infeliciter judicare præsumant; si frigefieri incipiat, calidâ affusâ variis in hunc finem modis iterum calefacienda, sed occulto præstat infundibulo, nè per locum s. cubiculum vapor molestus aut noxius diffundatur; calidam nimis tepida temperet. An sub ingressum vel egressum è solio calor aquæ intendendus, vel remittendus, discordes reperias tàm Medicos quàm ægros, nos pro variâ intentione, variandum etiam, imprimis, sudor si desideratur, sub egressum intendendum, ad exulcerationem sanandam sub finem curæ nonnunquam remittendum, in genere æqualem ferè observandum esse judicamus. *Labrum* sit debitæ amplitudinis, non nimis angustum, mundum, ab omnibus sordibus quotidie imò post quamvis lotionem expurgandum, nè ipsæ poros corporis obstruant, effectum impediunt, aut denuò inquinant, cuivis ægro per curæ durationem proprium, cujus gratia *EBERHARDUS Wirtembergiæ Dux glor. mem.* Constitutione in acidulis Göppingensibus observandâ ordinavit, ut omnes ægri, quos affectum tenere vel contagiosum vel aspectu tetrum suspicio est, absque inspectione Medicorum Juratorum præviâ ad lotionem non admittantur, admissi verò in labris, postmodum amplius in usum non ducendis, lavent; laminâ lignèâ vel tapetibus vel linteaminibus, nè vapor exhalans copiosus capiti noceat, tectum, ut & vapores ex aliorum assidentium labris avertantur aptè munitum. Balneum s. labrum pensile voluptatis causa à veteribus præsertim Medicis ægro abblandientibus excogitatum non quidem rejicimus, at tamen nobis non consuetum, aut necessarium haud suademus aut requirimus.

## VIII.

*Ager* aquis se jam *immersurus* ab excrementis solidis, liquidis & vaporosis, quantum possibile se liberet, ad actiones alacris, nec à causa externa lassus sit, stomacho à concoctione vacante, & crudis humoribus vacuo gaudeat; pessimè igitur agunt, qui ante infessum carne assâ frigidâ aut aliis cibis juncto uno aut pluribus vini haustibus ventriculum onerant, tormina, vomitum & similia sibi consciscentes mala, os suum ventris redentes carnificem; si debilioris sit constitutionis, Tabul. Trag. aut Condit. ante ingressum assumat ex *spec. arom. ros. diarrhod. Abb. rosat. novell. succin. ppt. tunic. ventric. gallin. cort. arant. citr. nuc. Indic. sem. foenic. anis. lapill. cancror. conf. alkerm. & simil.*, valdè delicatus aut medicamenta fastidiens jusculum aliquod ex carne præsertim gallinarum aut capon. paratum vel solum, vel recentibus herbis alteratum sorbeat, vel micam panis vino generosiori humectatam comedat. *In labrum* autem non subito & repenti se præcipitet, sed sensim ac pedetentim, sine tumultu & lentè, inquit *Aegineta d. re medic. l. 1. cap. 52. pag. 17.*, immersis primùm pedibus, mox cruribus, hinc ventre, tandem toto, si opus sit, corpore, subitæ mutationis noxam averfurus in id se conferat; immersionis enim profunditatem viscerum dispositio, partis affectæ ratio, & tolerantia determinabunt; pars affecta si infra diaphragma sit, usque ad umbilicum, si supra, usque ad cervicem, nonnunquam, ut in paralyti, hemiplexiâ, tremore, scabie, arthritide & similibus morbis ad os & fauces usque sedeat; viscera inferioris ventris si nimis caleant, ultra umbilicum aqua non ascendat, externè eorum regio *unguent. santalin. aut refriger. ol. violar. empl. Saturn. & simil.* vel *epithemate ex foliis quercus virentibus* muniatur; qui tolerare profundam nequit, possibilem instituat immersionem; sin hoc in casu tamen superiores partes aquæ urgeant præsentiam aut contactum, spongiæ vel linteamina aquâ acidâ calefactâ imbutæ, vel etiam stillicidia applicanda sunt, sic non solum lavit partes inferiores, sed & aquâ Leucensi calente cervicem continuò perfundere feliciter jussit æger spasmi certâ specie detentus apud *Plater. observ. l. 1. p. 135.* primo die ultra femora tantum aut ad umbilicum, post ad ventriculi regionem, raro pectus & ulterius ascendendo

pergat

pergat. *Dum lavat* in folio æger, caput probè tegat, in con-  
clavi solus non sit, præsertim paralyticus aut pareticus, nam  
bis talem animo linquentem, nî subito præter spem aliquis su-  
pervenisset, suffocatum fermè observavimus, non valdè se mo-  
veat, sed quietus in folio sit, nè corpus fervore accendat, san-  
guinisq; motum nimis citet, quod enim *Donatus ab Alto Mari*  
*d. medend. human. corpor. mal. c. 14.* in balneis naturalibus mem-  
bra agitanda dicit, de resolutis, quibus tamen non semper pos-  
sibile, intelligendum, non multa loquatur, non altè clamet  
aut cantillet, nè sitim intendat, ut ex *Hippocr. 2. epidem. com-*  
*ment. 3. aphor. 33.* *Tancredus de fame & siti. l. 3. quest. 13.* dedu-  
cit, lassitudinem augeat, & cephalalgiam inducat, nè tamen  
somnia, qui non admittendus, (nam humores & spiritus ad  
centrum trahit à circumferentia, aut figit, balneum verò con-  
trarium instituit motum, nec enim somnus sudorem, lavanti-  
bus aliàs familiarem, promovet, ut *Kyperus Inst. Med. l. 4. c. 14.*  
& *Blasius Medic. General. p. 291.* contra vulgarem docent opi-  
nionem) per quietem obruatur, tempus terat discursus, lectio-  
nes librorum aut Musicam audiendo & similibus, à cibo & po-  
tu abstineat, nè concoctio lotioni aut hæc illi distrahendo ob-  
sit, infirmior tamen supra dict. Tabul. condit. aut Trag., siti  
urgente pressus *Tab. ex succ. citr. berber. troch. crem. tartar.*  
*passul. conf. rosar. tunic. vitriol. & simil.* assumere, vel crystallum,  
*Feyneo, pract. lib. 1. c. 16.*, aurum vel saphirum, *Gabelkov. libr.*  
*medicam. p. 227.*, silices, *Borello obs. Medico-Phys. varior. cent. 2.*  
*obs. 68.*, globulum plumbeum, *Minderero Medic. milit. c. 2. sua-*  
*dente*, aut aliud quid durum, quò glandulæ maxillares pa-  
lati & sublinguales ac vasa salivalia pressa humiditatem ef-  
fundunt, in ore agitare poterit; nè aquâ, cui immersum est  
corpus, faciem abluat, ut multi facere amant, maculis, rube-  
dine, aut aliâ immunditie aliàs eam inquinaturus.

### IX.

*Balneo egressus* indusio calefacto induatur, totum corpus  
benè sive linteaminibus sive etiam pelliceo tegat ac involvat,  
nè externum frigus majores inducat noxas, quàm balneum u-  
tilitates, ad monitum *Eobani Hessi in præcept. bon. valetud.* Lo-  
tus ubi exieris thermas, fuge frigora, quod negligenti dolo-  
res dentium, febres, & mille alia incommoda minatur *Haf-*  
*sardus*

*sardus in schol. ad istum vers.*, lecto incumbat, non frigido, ut lassata quiescant membra, perque poros & ductus glandularum subcutanearum patefactos ulterius materia disposita exhalet, præsertim, cum vel Natura ad sudorem inclinat, vel morbus eum exigit, ad sudorem se componat, non tamen primis statim diebus largum, sed successivè intendendum, qui calidis probè abstergendus est linteis, sin secus, sudorem non cogat, virium debilitas aut spirituum dissipatio si somnum requirat, indulgere poterit modico, infirmior aut fervidior supra dict. Trag. Tab. Conserv. &c. aliquid assumat: à lecto post surgat toto corpore linteaminibus fumo medicato calefactis probè siccatus, (quæ linteamina, ut & illa, quibus insidet, & se tegit, sæpiùs lavanda & tergenda) vestibus induatur solitis, pedibus præsertim à frigore munitis, vidimus enim, qui nudis pedibus post balneum deambulabant, quosdam colica, quosdam diarrhœa, quosdam catarrhis molestissimis vexatos.

## X.

*Utramq;* nonnunquam *Lympham* ferventem & frigidam pro circumstantiarum diversitate separare, nonnunquam vero imò sæpè conjungere, cum tam internus quàm externus universalis indicatur usus, lex Medica & ægri dispositio jubet, tunc autem curam nymphaticam aggrediatur æger certo ordine, nè forsitan contra methodum ac intempestivè sacras has Nymphas adorans easque auxilio nudas Actæonis more offendens corporis habitu in pejus adhuc mutato infelicibus ægritudinis cornibus gravetur & membra propriæ incuriæ suæ quasi dilaceranda propinet, ut joculari seriò amat *Hörnigk. in Resp. ad Dieteric. d. acid. Svalb.*, nè igitur, ut multis solenne est, simul potet & lavet, nec paucis horis ante subsequentem lotionem bibat, nec manè bibat, vesperi lavet, nec alternis diebus potum balneumque adhibeat, natura enim ab utroq; modò huc modò illuc tracta suppetias ferre non potest, sed universalem internum solum præmittat, insequente hunc ad finem deductum externo, vel, quod plerunque, præsertim si moram tantam negotia non ferunt, fieri solet, cum æger potus quantitatem imminuere incipit, externum gradatim itidem ascendendo aggrediatur, hinc & *Gr. Horstius in Ep. ad Diet. d. ac. Svalb.* etiam si vel in ipso balneo vel statim post illud acidulas dictas  
pro-

propinavit, tamen per binas septimanas potum earum lotioni in iis præmittendum suadet, vel aliquot diebus saltem potum lotioni præmittat, ut ex aliquot doctorum Medicorum consilio præcipit *Ellenberger d. acidul. VVildung. c. 3.* Qui verò sanguine aliquantum fervidiore æstuant, humores acriores alunt, ferum immitte ac facilè ebulliens vehunt, potûs curâ, ut vocant, vel jam absolutâ, vel alias ob causas prohibitâ, hora una aut hac cum dimidiâ ante balnei ingressum libram rarò plus, magis minus, brevi subsequente deambulatione, vesperi verò, cum balneo egressi parùm quieverunt, libram semis circiter hauriant, quod & nostro suasu sæpissimè profuisse vidimus, imò non rarò post emensum lotionis stadium adhuc per 4. 6. vel 8. dies acidulas priùs dictâ dosi salutariter propinavimus.

## XI.

*Locum*, in quo lotio instituenda, propè scaturiginem, ob commoditatem & rationes in *dissert. nostr. th. 12.* adductas, laudamus, non tamen omnes acidulas aliò transvectas balneo ineptas judicamus. Labrum locetur in loco patulo, sereno, aeri pervio, ab ejus tamen injuriis munito, vel communi, ubi plures simul congregantur, quod ob plures causas multi, vel in singulari conclavi aut hypocausto, quod ob alias alij eligunt, modò locus talis non depressus nimis, angustus, sed altus & latus sit, capitis & pectoris sic læsionem avertens.

## XII.

*Tempus* usui nostro commodum *Vniversale* etiam, pace quorundam Magnorum Medicorum, admittimus Annum Bisfextilem ob rationes à *Fallopio d. thermis cap. 11. & 12.* adductas, sed quicumq; annus sit, non est conveniens, si aquarum conditionem spectemus, autumnus finis & veris initium, quia quâ mineralium vires ac alienarum aquarum tum heterogeneorum commixtione debiliores ac impuriore tum sunt, si aeris dispositionem, dictis temporibus hyemem addo, tum enim aer frigidus externus subitas excitat mutationes, si subjecti aptitudinem, priora itidem excluduntur; aptum autem & laudabile erit, ver post principium, dum enim Favonius genitili veris aura spirat, cunctaque in aprici gramine campi redolenti florum amœnitate vernant, & aves pariturae in nemoribus, ac luscinia propè amnes jucundo concentu obstrepit, quo tem-

pore corpora sua sponte ab humorum putrilagine per scabiem sese exonerare solent, eo etiam nullum ad thermarum usum & delicias salubrius novi, inquit *Langius Epistol. Medic. l. 2. epist. 52.*, ætas, nam rarò aut nunquam apud nos tantus est æstus, ut à lotionibus nostris abigat; & autumnii principium, tum enim aquæ viribus prægnantes, aër conditione debitâ salutaris, & corpus patulum ac operationi aquarum aptum est. Hinc nostris in regionibus commodissimum ac ordinarium esse judicamus à mense Aprili vel Martij fine ad principium Octobris usque. Sin *extraordinariam* curam quis affectus urgeat, reliqua etiam anni tempora admittenda, sed noxæ, quas aquæ minantur, vario, quantum possibile, modo, quas aër, conclavi calido, quas subjectum, medicamentis debitis avertendæ sunt. Sic Scotus quidam chordâ miserè distractus & lacerus quasi, frigidissimo carcere diu detentus, ut membrorum ferè omnium quasi sensu & motu privatus esset, mediâ hyeme thermis Marchicis usus & perfectè restitutus est *testante J. Matthæo d. therm. March. Bad. part. 2.*, imò aquas minerales per hyberna frigora majores possidere vires *G. Morellus d. aquis medicatis Agr. Patav.* statuit. Semel usurpata acidularum balnea an quotannis repetenda, quærenti reponimus, quod *Excell. Dn. D. Mezgerus, Fautor ac Collega noster Honoratissimus, de scarificatione semel admissa reiteranda, Thes. Chiriatric. Syllog. 3. th. 15., & nos dissert. nostr. d. thes. 11.* de potu diximus, nec enim semper isti, quale hirudinum *van den Bossche Hist. Med. de animal. l. 4. c. 29.* relinqui dicit, satisfaciendum desiderio; affectus tamen externos esse notamus, qui primo anno non tolluntur penitùs, sed altero vel tertio repetito balneorum usu, quod & de suis aquis *Sehlbacensibus* monet *J. R. Saltzmann. c. 3.*

## XIII.

*Particulare* pro lotionis diei tempus convenit, cum aër temperatus, purgatus, subjecti natura disposita, & ab aliis actionibus libera, aquæ efficaces sunt, horis matutinis, tum præsertim Sol favet, aquis mineralia per noctem meliùs mixta, corpus promptius & virtutes naturales magis unitæ sunt, ut *Cel. Rolsincius method. med. Special. Comment. l. 6. s. 4. cap. 2.* de thermalibus aquis loquitur, hinc pro ægri consuetudine surgendi

gendi, ventriculi concoquentis dexteritate vel segnitie, cibi hesterni concoctu facilitate vel difficultate, instituenda lotio manè horâ quintâ, sextâ, septimâ, octavâ, vesperi, prout prandium maturius vel serius, levius, vel gravius, horâ tertiâ, quartâ, quintâ, cœnandi tempus aliquantum protrahendo, nam cibo vel potu repletum corpus lavandum non est, *docente Rulando probl. Medico-Phys. l. 1. probl. 109.*, hinc horis sex à pastu tempus balneo idoneum esse, si bis in die lavari oporteat, dicit *Paræus oper. chirurg. l. 25. pag. 42.*, multos tamen ægros, si vesperinam omittant lotionem, præsertim fervente Sirio, meliùs agere arbitramur.

## XIV.

*Durationem* lotionis non cum quibusdam sudoris circa frontem eruptione, non extremitatum digitorum in manibus ac pedibus contractione, nec certo horarum spatio limitamus, nam erit æger, qui vix dimidiâ horâ in aquis nostris commorans sudabit vel rugas contrahet, alius econtra, qui animi priùs patietur deliquium, quàm frontem sudore humectabit, vel rugis cutem extremorum confringet, &, ut certum horarum præfiniatur spatium, temperamentum, ætas, sexus, vires, corporis textura, regio, consuetudo, anni tempus, morbi conditio, acidularum qualitas probè pensitanda sunt, citiùs operari aquas minerales natura calidas quàm calefaciendas, hincque his diutiùs immorandum esse *Reusnerus de aquis medic. miner. VVembdingensib. p. 75.* statuit, & *Dietericus* ob summam aquarum penetrationem paucos ultra horam in acidulis Swalbacensibus immorari posse refert, quare cùm & ægri quâ dicta & aquæ varient, varia etiam ab Authoribus moræ tempora præscribuntur. Prudentiâ igitur hîc opus Medicâ, tam enim quoad hoc, quàm etiam alia cuivis individuo applicanda Medici adhuc consulendi, nam DEUS aquis mineralibus constitutionem de consulendis Medicis non tollit, ut loquitur *Hauptmann. de Fontib. Hornhus.*, imò præsertim hîc iudicium requiritur Practicum, cujus in præscriptione remedij unum granum, ut *πχυικῶς* loqui liceat, pluris æstimandum est, quàm aliquot uncix ingenij juxta ac memoriæ, ut ingeniosè *Clar. Grube præfat. de mod. simpl. med. fac. cognosc.* differit. Ut tamen

in commune certum exprimamus spatium, brevissima mora est per horam dimidiam, mediocris per horam unam & unam cum dimidia, longissima per horas tres aut quatuor tempore matutino, vespertino autem duas. Summa autem ista mora non primo statim instituenda die, sed dimidiâ horâ incipiendum, & indies horæ quadrante uno vel duobus ascendendo sensim ad longissimam perveniendum, quâ per debitum tempus, de quo mox, observatâ, iterum abbreviandæ horæ usque ad dimidiam, nè infueta subita noceat mutatio, ac ut ægri ad acidulas habitudo innotescat, quem modum etiam antiquos observasse ex *Oribasio l. 10. coll. 5.* patet. *An bis in die lavandum,* morbi & virium conditio cum corporis calore ac ventriculi statu determinabit, hic enim neque facultatis, ut loquuntur, vitio, neque errore externo læsus, vires sufficientes, morbus pertinax, & corpus non nimis fervidum id concedent & suadebunt, semper tamen brevioris vesperi quàm manè moram; status verò contrarius, quod supra innuimus, lotionem dissuadet & denegat pomeridianam.

## XV.

*Quot autem dies & horas* talis in balneo mora quotidiana *continuanda* sit, varias novimus sententias, at idem hîc, quod modò de determinatione moræ diurnæ dictum, observari petimus, statuentes, melius esse, dierum numerum extendere, & moram in balneo contrahere. Hinc vix admittendi ii, qui in genere cuivis dies certos, horas certas e. g. 70. 80. 90. 100. aut plures assignant, quos vehementer errare dicit *Rascalon in Epist. ad Sereniss. Bavar. Duc.* Ut tamen & hîc commune quoddam præscribamus, durabit lotio quâ summam durationem 18. 20. 24., mediocrem, 12. 14., brevissimam 5. 6. dies. Ex quibus colliges, quî nobis displiceat iste modus, quo in thermis Piperinis divites & pauperes primo statim die summâ incipiendo morâ lavant, & dies totos sæpè cum noctis maximâ parte lavando consumunt, *referente Kolvveck, de iisd. c. 9.* sed ipse non omnibus benè cessisse, imò quosdam maniacos indereditos, quosdam in iis suffocatos fatetur, hinc & *Zacch. Belli 16. cap. 19.* nostro similem quâ hæc præscribit modum; & quàm ridendi illi, quibus uno, imprimis S. Johannis Evang. die

die, per 24. horas continuas lavare sicque curam absolvere solenne est. Affectus autem p. n. præsentia vel absentia quibus continuandum aut absolvendum usum nostrum suadere solet, cauti sint oportet, nam si morbum indies decrefcere cum augmento virium observet æger durante adhuc præscripto tempore, pergat, sin nullum aut modicum saltem sentiat effectum, diebus præscriptis penitus absolutis, finire poterit, non tamen de omni salutari juvamine desperans, plurimos enim iis molestiis oneratos valedixisse acidulis, queis eas salutaverant, novimus, domi tamen post mensem aut longius tempus à morbo vel penitus vel maximam partem liberatos, præsertim, quibus paresis aut spasmodici affectus exteriora ligabant membra, hinc *Höferus Hercul. Medic. lib. 8. c. 3. d. aquis medic.* dicit: Etsi curâ jam absolutâ æger omninò restitutus non sit, jubemus tamen ipsum benè sperare, ut cum tempore effectus bonus consequatur, Naturâ substituente id, quod Arti non licuit, abstinendum aliquando, *suadente Hippocrate apud Turrianum Jatroch. f. 289. & Cl. Geiger in regulis d. usu therm. Hailbron. Bavar.* fructibus terræ non tam inter quàm post pluvias suam auctiorem monstrantibus comparat apud *Cl. Thiermair. Consult. Med. l. 1. schol. ad cap. 14.*, imò juvamenta firma magis esse ac certa, quæ non subitò sed ad tempus post usum balneï sentiuntur, longa veterum observatione compertum est, ut testatur *Baubinus d. font. admirab. Boll. l. 2. sect. 1. c. 16.* Pruritus, excoriationem, exulcerationem seu scabiem cutis plerique durationis finem indicare, imò hanc expetendam & expectandam quidam statuunt. Oritur autem ea à sanguine aut sero acri ad cutem per glandulas subcutaneas propulso, vel ob corporis balneo immergi impuritatem, quò multum facit fructuum crudorum comestio, aut fervorem à vinorum nimis calidorum usu, vel ob mineralia aquarum intensiora, acriora, vel ob glandularum ac cutis densitatem, vel balneum calidius justo aut diutius protractum, hinc justum terminum non figit, nam ob singularum vel quarundam harum causarum vel defectum vel variam habitudinem quidam nunquam istam patiuntur efflorescentiam, quidam primis statim diebus, quidam aliquoties, nec necessaria semper est excoriatio, ut inter feri-

nas thermarum consuetudines ferinum exulcerationis desiderium recenseat *Guarionius abomin. desol. gener. hum. l. 5. c. 27.*, hinc *Cl. Geyger Microcosm. hypochondr. c. 26.* inquit: Excoriatio neque sufficientis lotionis neque bonæ operationis certum ac perpetuum signum est. Hæc igitur pustulæ efflorescere si ab initio aut medio tempore cæperint, continuandum balneum, sed tepidius, & nonnunquam sudandum ad eas abstergendas, balneo enim tum intermisso naturæ moventi frenum injiceretur, hinc *Fabric. H. d. therm. Leuc.* durante excoriatione à purgantibus medicamentis abstinere jubet *p. 649.*, omnem continuus pruritus ægro surriperet quietem, & balneum salutariter agere incipiens impediretur, hinc tali in casu hyeme insequente conflictum cum scabie minatur *Eisenmenger d. aqua medicat. Marpac. c. 11.* & ipse *Bauhinus* cum acidularum Griefbacensium balneo utens exulceraretur lotionem ob Principis sui abitum interrumpens in gravem incidit morbum, *l. c. l. 2. c. 4.* Sin ad finem ferè aut jam perducto lotionis termino modò efflorescunt, quosdam adhuc licebit, sed multos dies continuare lotionem nocebit, fervidioribus præsertim temperamentis, quod Magno cuidam Viro isto die, quo lotioni diu jam protractæ valedicere proposuerat, ob exulcerationem levem denuò lotionem nescio ex cujus persuasione incipienti ac continuanti vomitus horrendos, colicam & totius corporis fervorem concitasse vidimus; reliquæ verò tum aquâ in qua lapis ahenarius coctus, aut alio medio abigi poterunt: nec parva ista ulcera primis aut mediis diebus evanescentia statim filum lotionis abrumpendum indicant, præsertim, si debitum nondum à Medico prudenti præscriptum tempus effluxit, & levamen adhuc nullum æger sentit. Nec etiam pruritus iste altero anno spontè proveniens usum nostrum repetendum jubet, nisi alia adsint indicantia, aut absint prohibentia, qualiter consulit *Gravius in Epist. ad Sereniss. Bavar. Duc.* Optimè autem in quovis ægro lotionis durationem definit *εὐφορία*, quæ si aliquando à variis turbetur symptomatibus, non tamen tollitur penitus, quia pleraque hæc præcaveri vel curari possunt lotionis continuatione sed modo nonnunquam emendato, vel aliis mediis.

## XVI.

*Symptomata* quædam oborta tollendi modum jam proposuimus *dissert. nostr. th. 16.* quædam adhuc lavantes afficere solita nunc addituri. *Febris*, si corpus ab heterogeneis liberetur, aqua non nimis calida, mora debitum non excedens, aër non frigidus sit, omnisque motuum tam animi quam corporis vehementia vitetur, præcavetur: ob peccatum autem in uno vel altero horum commissum si bulliat ista, aliquando penitus, aliquando ad tempus à lotionè abstinendum, proque varia causæ indicatione varia præbenda medicamenta, potissimum verò sanguinis ac seri fervorem quocunque modo frenare valentia. De corpus mundantibus supra diximus. *Somnus præternaturalis* vel aquarum ipsarum, vel caloris, vel subjecti culpâ obrepat, aut potius obruit; istæ emendentur, aut si fieri non potest, lotio abrumpatur, ille modo dicto infringatur, hoc à vaporibus ac humoribus soporiferis liberetur medicamentis *ex ruth. acet. castor. nigell. succin sal. volat. oleos. spir. volat. urinos. balsam. apopl. &c.* Societatibus se somnolentus æger misceat, jocos licitis, Musicâ aut discursibus desides excitet spiritus. *Sanguinis fluxum* è naribus *Haly Abbas lib. 5. theoretic. & Rhases p. 3. Almanzor. cap. d. virtutib. aquar.* inter symptomata lavantibus communia recensent, qui modis dictis præcavetur, & V. S., fervorem extinguentibus, adstringentibus medicamentis & calorem balnei remittendo aut ad tempus suspendendo sistitur. *Lipothymia* imminere visa nè dejiciat lavantem, præter cautelas jam notatas, non vacuo stomacho aquæ se credat, sed modo supra dicto eum muniat, balneo non profundè nimis se immergat, brachia extra solium exerat nunquam odoratis suavibus reficiatur, linteisque vultus madidi sudorem abstergat: sin prosternat, è balneo ducatur, liberi aëre, suavibus, spirituosis, jusculis, medicamentis internis & externis reficiatur. *Sudor multus*, si contingat vel durante curâ, vel domi ea jam absoluta, dispiciendum, an cum *εὐφορίᾳ* fiat, tum non impediendus, sin minus, balnei æstus minuatur, varia stiptica hancque excretionem sufflaminantia in usum ducenda. Insuper hîc sudorem non abstergendum, sed ut remanens in frigidetur, sicque poros oppilet, suadet

Vid.

*VVidmann de thermis Ferin. Wirt. p. 284. Erysipelas si invadat, sudore natura juvanda, fervor temperandus, & externa humida actu frigida vitanda sunt. In Offenowensi falso fonte cum lavans æger eo obruitur, acidulas Dainacenses bibitas prodesse docet G. Marius de Font. Offenouvens. cap. 6.*

## XVII.

*Diata ab ægro lavante, qui optatum sperat obtinere effectum, observetur debita, nec enim usus acidularum noster felici pede progredi poterit, si adversantem & contranitentem eam experiatur. Qualis autem requiratur, dissert. nostr. lib. 14. & 15, ac supra quibusdam in locis jam dictavimus, pauca hæc addentes: Aër vitetur potissimum frigidus, qui si excedat, conclavia lentè calefacienda, non tamen nimis, nam Ramlovius conclavia nimis fervida rectè damnat d. acidul. VVildung. l. 1. c. 12. Errant ii, qui ad libitum hîc vivere, cum omnia, si quæ occurrant, errata lotio emendet, prætendunt, longe à thermis arcendi, ut inquit Schopsius d. præsid. Medic. l. 3. sect. 9. Obsequendum monito Joach. Camerarii, in VVittich. Consil. med. consil. 35. Simplex cibus est sobrietatis & sanitatis: reliqui deliciarum & luxuriæ. Prandium & cœna semper æqualibus horis, nec hodie maturius & cras serius instituantur. Vina absynthiaca, heleniata, juniperina aliaque hujus generis pro primo haustu in prandio seu cœna suadet Remmelinus in therm. VVeltzheimensib. part. 3. cap. 2. Malè suæ consulunt sanitati, qui ad ebrietatem non semel per lotionis stadium vinum ingurgitant, imò vino ad excessum imbuti aquis adhuc immergunt corpus, quod cum faceret quidam, instar mortui è folio extractus est; nec meliùs agunt, qui spirituosas, cephalicas, antapoplecticas & ejusmodi aquas pro præcavendis catarrhis frequenter assumere consueverunt. Motus ante ingressum balnei, ante & post cibum sit lenis, cujus ob varias causas denegati vices frictio linteaminibus calidis facta agat, si dolores aut ulcera extremorum hanc concesserint. Excedunt, qui acidulis vicini post lotionem dimidiæ vel integræ horæ spatium domum usque pedibus dimetiuntur. Inter animi pathemata, omnia vehementia, præsertim verò ira, mœror, curæ anxie ac nimie, terror, exulent; literati studia se-*

ria

ria, meditationes vigiles & ingeniosas lectiones abigant. *Scarificationes* consuetæ non solum sed & necessariae non omit- tendæ curæ tempore; non tamen laudamus eos, qui in bal- neo se non evacuasse existimant, nisi corpus oneretur inci- sis cucurbitulis, quasi senticeto erinacei horreret, cum sæpè potiùs iis esset emendus sanguis, ut loqui amat *Pantaleon. d. zhermis Tigurin. c. 20.* *Venerea voluptati* qui indulgere hîc cu- piunt; sciant castissimis Deabus olim Ethnicos balnea confe- crasse, nec majorem spirituum dissolutionem hîc locum ha- bere: huic autem voluptati amplam aperit fenestram consue- tudo, quâ locis non separatis sed communibus utriusque se- xus homines lavant, contra quam egregiè disserit *Camerarius oper. succis. c. 33.* & leges prohibentes adducit *Salmuth in No- sis ad Panciroll. Rer. memorab. lib. 1. p. 169.*

## XVIII.

Particularia nunc quædam de *Particulari Externo Acidu- larum Usu*, lotionè particulari, stillicidio, fomento, injectio- nibus, flore, luto, & lapide brevibus proponemus, pleraque jam adducta & hîc observari jubentes. Præscribunt nonnun- quam *particularem lotionem*, vel universalem prohibentia, vel folius certæ partis affectus, cæteris salvis, vel ejus pertinacia, tum universali particularis præmittitur, sic manum à multis amputandam judicatam primùm solam felici effectu quidam lavit acid. Swalb. teste *Vietore in Resp. ad Diet.*, sic caput ob mala dicta lavamus, vultus maculas, impetigines & tubercu- la abstergimus, sic oculorum & aurium mala eluendo tolli- mus, si paralysis fuerit particularis, saltem in ipso latere adhi- bemus balnea nostra, ceu naturalia suadet *Pulverin. Med. Pract. l. d. cur. hum. corp. morb. c. 15.*, sic extremorum dolores, tumores, ul- cera iis solum immersis tollimus, sic malluvia & pediluvia in- stituimus, quæ ex acidulis Egranis suavem conciliare som- num dicit *Macasius l. c.* curet autem lavans, ut pelvis, alveolus, vel vas istud, cui pars immergenda, commodum, aptum, & ne reliquis partibus lotio noceat, fabricatum sit.

## XIX.

*Stillicidium*, embrocha, irroratio, instillatio, aliàs & duc- cia dictum, quod cataclysmum Coelii aut embrocham subtilita-

tivam Avicennæ esse credit *Conringius d. Paralyfi §. 94.*, ob varias supra indigitatas ab Authoribus laudatur facultates, præsertim illud ex aqua minerali vitriolico-ferrata refrigerare dicit *Heurnius Meth. ad Prax. l. 2. c. 2.*, modò capiti, nec enim *Ærium l. 1. ferm. 3. c. 167.*, dum caput thermis haud subjiciendum dicit, de omnibus mineralibus aquis intelligunt Authores, modò artubus, cordi, quod *Bulgetius l. c.* laudat, hepatis, ventriculo, quod *Veslingius l. c.* probat, hypochondriis, quod in affectu hypochondriaco commendat *Martini d. aff. hypoch. p. 331.* & utero adhibetur, his visceribus balneum utilius multi statuunt, nonnunquam tamen, ubi balnea prohibentur, stillicidium laudant alii. Capiti si adhibent, ejusque vel parti posteriori, cervici, vel anteriori, ut *Appellatus in consil. Trixavell. l. 1. cons. 73.* distinguit., capillis prius rasure id nudant, in hoc vel aliam partem aquam ex altiori vel humiliori loco pro majori penetratione stillare faciunt, frontem & tempora *ung. ex ol. mastich. myrt. &c.* inungit *Deucerus. d. therm. fer. V Virt.*, nonnunquam in balneo, quod tamen improbat *Sommerus d. therm. Carol. c. d. stillicid.*, nonnunquam extra balneum; calor primùm sit remissus, de die in diem intendendus ad tolerantiam. Post embrocham partem irroratam panis, linteaminibus calidis aut spongiis siccant, siccataque probè tegunt, nec crustam, quam aqua stillans inducere solet, statim remonent. Itali, teste *Amat. Lusit. cent. 3. cur. 65.*, duccias posthabent sæpè, aut subinde differunt; *Clar. Schneiderus, d. catarrh. l. 4. c. 5.* inquit: Duccix nec obsunt aliquando, nec profunt, plerunque autem nocent; Apud nos non multum in usu.

## X X.

*Fomentum* præstant Acidæ cum fructu aliquando solùm aliquando ante, nonnunquam post lotionem, vel, cum vapor saltem ab iis calefactis exhalans partem attingit, cujus modum eleganter qua thermas Carolinas delineat *Pansa de iisd. c. 12.*, & hinc adhibendum, vel cum aqua acida in lapides & ferrum excandescens funditur, de quo *Müller d. Medicis Balneis Artificial. c. 2. sect. 1. not. ad § 6.* Sic Spadanis isto modo applicitis multas, quæ æternâ sterilitate damnatas se putabant, matres factas

factas fuisse dicit *Heer Spadacren. c. 9.*, & acidę Niderowenses oedema hoc modo manuum ingens in duobus sustulerunt; vel cum ipsa calida applicatur spongiâ, bombace, linteo, lana, panno, vesica suilla, bubula, parti collo, extremis, scroto & aliis; Sic solo fotu tepido Heidelbergensem Negotiatorem paralyticis suis brachiis Swallbac. bullientem fontem felici effectu adhibuisse *Dieteric. d. eod.* dicit, quod experientia in nostris quotidie ferè confirmat. *Quidam* etiam indusia & Iodices s. thoralia in aquam acidam intingunt aliquoties, & non expressa spontè exiccari sinunt, ut quandam sic mineralium vim imbibant.

## XXI.

*Iniectionibus*, quas interna medicamenta *Bauhin<sup>9</sup> d. compos. med. c. 10.* & *Esthivius d. comp. med. p. 10.*, nos verò cum *Magno Sennerto, Instit. Med. l. 5. part. 3. sect. 3. c. 23.* & *Cl. Kypero, Instit. Med. l. 4. c. 7.* externa nunc vocamus, materiam suppeditant acidulæ, cum vel vapor illarum, ceu sulphureas Neapolis thermas applicitas furdastro curare scribit *Osvv. Grembs. Arb. integr. & ruinos. homin. l. 2 cap. 1. §. 2. num. 24.*, vel ipsa aqua auribus, ubi cautione opus, nè curam illapsæ in aures aquæ medicatæ calorem & dolorem excitantis à *Forestol. 12. Schol. ad obs. 3.* traditam repetere necesse sit, naribus, errhini instar, & ori, modò pro collutione leniter infunduntur, modò linteaminibus tenuibus applicantur, modò per siphonem injiciuntur, aliquando frigidæ, potissimum calidæ; Enematibus sæpè contra varios effectus vel solæ vel aliis junctæ liquorem præbent; illo modo idem forsan, quod *Enema Mynsicht. Armament. Medic. Chym. secretum ex aqua calida & sale sect. 32. annotat.* descriptum in aliorum provocatione præstabit, ob quem finem *P. Zachias. d. affect. hypochondr. l. 1. c. 26.* Aquam Tettucii non iterum excretam clysteribus ex ipsâ confectis expelli jubet, quod acidulis etiam efficere familiare quibusdam vidimus: hoc modo acidulis Swalbacensibus D. Vietorem frequenter junxisse olea testatur *Cl. I. D. Horstius l. c. p. 8.* Metrenchyitis itidem in conjugatis, licet rarius, magis locum habentibus, ut *Exc. VVedelius in Theor. Medic. part. 5. sect. 11. tit. 1.* innuit, non quidem frequenter in usum tractis, mate-

riam exhibent, qualiter uterum muliebrem albo fluore mucosum oblitum valdè curant, & ejusdem cancro scirrhusque unicè profunt Spadanæ, teste *Heer l. c.* An & quomodo Infusoria serviant Chirurgiæ, curiosè nec forsan abs re hîc sciscitâti respõdemus, ante particularem hanc præscriptionem nos desiderare probatam de facili impedimentorum remotione, requisitorum cognitione, & illarum sanguini immediatè junctarum in eum actione experientiam, perpendendum relinquentes, injectum spir. vitrioli canem interemisse, sulphuris verò non, ex *observ. Doctiss. Fracassati, ut au journal. 12.º les Sçavants* referunt.

## XXII.

*Flos s. spuma acidularum coctarum ad modum contra morbos & partibus, ceu fomentum humidum ex iis modò ferè dictum, applicatur, præsertim verò ulcera tali tam feliciter quàm frequenter lavantur. Lutum, quod fax, limus, mucus, cœnum etiam audit, acidularum vel scaturiginum ostiis, vel locis, quæ traductæ alluunt, vel labrorum fundo adhæret, ochram referre dicit in Spadanis *Helmont d. lithias. c. 4. num. 3.*, cui in thermis tophos, quos in Aponitanis *Celeb. VVepferus, Fautor & Amicus noster colendus, d. apopl. p. 207.* & *Ingen. VVelsch. d. Agagrop. dissert. 2. p. 19.* se vidisse tradunt, comparat *Excell. Maior, Chiloniensis Professor, in S. R. l. Acad. N. C. Collega noster suspiciendus, hist. anatom. calculor. in Sperling. corp. repert.*, aquarum sulphurearum convulsioni herniæ sectioni supervenienti utile est ex consilio *Geigeri Kelegraph. c. 20.*, acidularum Wildungensium, *Ramlovio teste, de iisd. l. 1. c. 12.*, diuturna ulcera, dolores & tophos pedum tollit, tendinibusque debilibus robur reddit, in genere variis supra tactis pollet viribus; hinc & cremor talis ex thermis basin Pilularum Elichmanni celebrium constituit, *scribente VVormio ad Celeberr. Bartholin. centur. 1. Epist. 1.* & Empl. ex luto acidularum describit *laud. Horstius l. c. p. 41.* Potissimum instar cataplasmatibus applicatur parti primariò affectæ, *iubente Nicolai, d. Paralyti. §. 26.*, magnâque gaudet efficacîâ, nam diutiùs, quàm fomentum, vires servat, temperieque excedente non lædit; tam internarum, quàm externarum partium affectibus opponitur, hinc capiti,*

præcor-

præcordiis, quibus utrisque tamen lutum apponendum prohibet *Zacutus Lusit. d. Medic. Princ. Histor. l. 6. paraphr. hist. 15.*, ventriculi, intestinorum, hepatis, lienis, renum, uteri &c. regionibus, & ab domini apponunt. Usurpatur talis illutatio nonnunquam ad acidularum scaturiginem, nonnunquam domi, nam aliò se transportari patitur, nonnunquam jungitur, vel quod melius, sequitur universalem acidularum usum, haustæ si per sudorem operentur curâ absolutâ succedere demum debere lutum suadet *Hörnigk. l. c. quest. 62.*, Utuntur cœno fontium balneorum naturalium utiliter, sed ita, si illitum sole inarescat, inquit *Plinius libr. 31. c. 6.* Pars nimirum affecta aquâ acidâ probè foveatur, post luto obducitur, relinquendo tamdiu, donec ad Solis vel ignis calorem exiecatum decidere incipiat, tùm novo, si copia suppetit, sin minus, prius aquâ propriâ denuò malaxato regitur, ad exsiccationem usque bis vel ter repetendo, tandem denuò aquâ acida calefactâ foveatur, à plerisque oleo convenienti non semper necessariò inungitur, probè siccatur, ac ab aëris injuriis defenditur, corpus post obambulatione exercendo: Alius est modus, cùm alveolus parti subjicitur affectæ aut apponitur, paulatimque luto completur, ut pars caliditati sensim assuescat, & supra partem servatur ad refrigerationem usque, quo factò novum apponitur, *Claudino referente append. d. ingr. ad infirm. p. 395.*, potissimùm verò hîc & alia, quæ de universali usu monita, observanda sunt. Aliquando idem lutum illinendum ulcerum interioribus feliciter suasimus. *Lapis s. calculus* in aheno, quo coquitur acida, concrescens, vel cum aqua propria calida ad pulmenti consistentiam miscetur, quo abjectis emplastris aut aliis in Niderowensium lotionè ex ipsis parato obducere ulcera præcipit *Hafenrefferus de iisd. p. 87.*, vel in aqua coquendo potissimam partem solutus vires suas ei communicat, facile in hunc usum & feliciter in longinqua loca transportandus, vel siccatus, pulveris subtilis formâ ulceribus inspergitur. Et his hâc vice Gratiis Misericordi DEO redditis claudimus.



*Ut vacuum in pagellâ fugeremus, libuit  
sequentia annectere*

COROLLARIA.

I.

*Medicus sive Docens sive Discens non alium, quàm Praxin,  
finem intendat.*

II.

*igne corpora naturalia tractans proximi, non proprium,  
sibi præfigat commodum.*

III.

*Curatio plurimorum morborum, modò Artis præceptis con-  
veniens cum iudicio instituat, feliciter procedet,  
sive ex Galenicorum, sive Chymicorum, sive Helmon-  
tij, sive Sylvij, sive Cartesii, sive Tachenij aut Alio-  
rum principiis causas verbis sæpè magis quàm rebus  
discrepantes diducat aut statuatur Medicus.*

IV.

*Phænomena tam in Anatomia quàm Chymia sæpè variant,  
hinc singula universali Regulæ cudenda mox apta non  
sunt.*

V.

*Acidum & Alkali multarum actionum causas eleganter ex-  
plicant, non tamen omnes decidere valent.*

VI.

*Tubulos seu Glandulas Intestinorum ad Conglomeratas Vfus,  
non aut vix Structura, referre suadet.*

VII. Pe-

## VII.

*Peritoneum laxari aut rumpi, hinc herniam efficere potest etiam alio in loco, quàm inguinibus.*

## VIII.

*Lactis Vfus nec Arthritico cuius, nec uno eodemque modo præscribendus.*

## IX.

*Nova Podagræ per Moxam curatio non alia esse videtur, quàm quæ per cauterium actuale fit.*

## X.

*Sudor in statu neutro constitutos à multis magnisque morbis præservare valet.*

## XI.

*Antimonium Diaphoreticum, Bezoartica mineralia, specificum stomachicum Poterij, Diaphoreticum Ioviale, & sudoriferum Maximum F. non parùm quàm præparationem inter se, sed nihil quàm vim Diaphoreticam differunt.*

## XII.

*Herba Britannica Cochlearia non est.*

F I N I S.



